

PRAEFATIO

MILONIANAE orationis recensio paucis codicibus nititur. Ut enim omittam Palimpsesti Taurinensis pauca folia, tres tantum melioris familiae codices hodie supersunt. Hi sunt *H* (Harleianus 2682, olim Basilicanus sive Hittorpianus), *T* (Tegernseensis), *E* (Erfurtensis), quibus addendus est *W* (Werdensis, sive Saxonicus perantiquus Fabricii) hodie deperditus. Praeter hos omnes noti codices ex eodem archetypo certis locis hiante et mendis scaturiente descripti sunt. *E* melioribus *T* (quocum *W* fere semper consentiebat) artiore quodam vinculo cum deterioribus conexum esse constat. *E* ex eodem quo *T* archetypo ductum esse sed non nullis locis ex *H* correctum in editione mea maiore docui. *H* iam ccc abhinc annos Gulielmius quasi *σειραφόρον* in sua 'praeclara triga' (i. e. Basilicano, Werdensi, Erfurtensi) habebat, huic amisso principatum deferebant Garatinius et Madvigius, ego nuper in lucem revocato tamquam hereditatem ab alienis occupatam pro mea parte vindicavi. De qua re alii alia hodie sentiunt viri docti, sine studio iudicabunt posterum. E deterioribus multos contuli, sed non nisi tres inveni qui ceteris paulo praestarent. Hi sunt *δ* (Bernensis 104), *β* (Barberinus ix. 11), *σ* (Oxon. Auct. Rawl.